

Prot. N. 1376/19/1


BEATISSIME PATER,


Faustus Tardelli, Episcopus Pistoriensis, suas libenter faciens preces Humberti Pineschi, Praepositi Capituli Cathedralis, sensus filialis devotionis erga Sanctitatem Tuam ex animo pandit, et reverenter exponit: Erga S. Apostolum Iacobum Maiorem, ab anno MCXLIV fervidus viget cultus, ex quo in Pistoriense Cathedrale Templum, pro magna spiritali christifidelium exultatione, insignis translata est S. Iacobi reliquia, quae maxima cum pietate a permultis saeculis custodita erat in Basilica Cathedrali Compostellana. Cum vero recurrentibus annis, in quibus liturgica memoria S. Iacobi in diem dominicam incidit, speciales gratiae solitae sint concedi christifidelibus pie invisentibus Ecclesiam S. Iacobi Compostellanam, populus Pistoriensis, his spiritalibus donis, proximo anno, sociari desiderat. Hoc laudandum Capituli Cathedralis Pistoriensis desiderium Orator Episcopus suum facit et, audito Capitulo Metropolitano Compostellano, benignitati Sanctitatis Tuae humiliter commendat. Et Deus, etc.

Die XXV Iulii MMXX

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Ss.mi Domini Nostri Francisci Pp., iubilarem benigne concedit atque indicit Annum Compostellanum ad instar cum adnexa plenaria Indulgentia, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, Eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus vere paenitentibus et caritate compulsis in praedicta ecclesia lucranda, dummodo celebrationi liturgicae, praesertim Missae Sacrificio, vel pio alicui exercitio in honorem S. Iacobi Maioris, devote interfuerint, vel saltem vacaverint, per congruum temporis spatium, turmatim vel singuli, piis considerationibus et precibus, inter quas Oratio Dominica et Fidei Professio qualibet legitima formula: a) die IX Ianuarii MMXXI, quo sollemnes celebrationes initium habebunt necnon die XXVII Decembris MMXXI, quo ipsae clauduntur; b) die festo S. Iacobi Maioris Apostoli; c) quoties illuc devotionis causa turmatim vel singillatim peregrinati fuerint; d) semel, die a singulis fidelibus libere eligendo.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi valebunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilariis celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, suis precibus ac doloribus misericordiae Deo oblati. Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiarum enixe rogat ut canonicus paenitentiarum, capitulares et Cathedralis clerus, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant et S. Communionem infirmis saepe ministrent. Praesenti pro hac vice tantum valituro. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarum Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens